



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

§.2. In Serie Mogvntina.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

*Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Marci etiam 16. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur novis: sermones tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. &c.*

His aliisque miraculis proditi sunt Pseudo-doctores variis Veteri, tum Novo Testamento notissimi. His item aliisque miraculis docemur intelligere signa, fructus seu opera, ex quibus licet colligere, num quis inter Prophetas, an pseudo-prophetas, an inter Doctores, an pseudo-doctores sit collocandus. Probata nimis opera & miracula nunc in Prophetis, nunc in Apostolis, nunc in Doctoribus simul conjuncta, ostenderunt orbi universo Veteris & Novi Testamenti integratatem. Jam verò similia opera & miracula in Archiepiscopis & Episcopis nostris Germanicis, si ostenderit nobis ipsemet Hübnerus, promptissimum nobis erit dicere, quin altum exclamare: profectò Præsules hi Germani numerati & numerandi sunt, vel inter Prophetas, vel Apostolos, vel Doctores Christi, Ecclesiæ constanter integræ testes integerimi, constantissimi.

Colligamus igitur ex multis Hübneri paginis ejusdem mentem de operibus & miraculis Archipræsulum Moguntiæ, Trevorum, Coloniæ, sed & aliorum saltem paucorum partim Archiepiscoporum, partim Episcoporum: nam omnes aut omnium opera egregia atque miracula recensere, esset ingens volumen implere.

## §. 2.

## IN SERIE MOGVNTINA

Pag. 14 narrat Hübnerus, D. Aureum & hujus sororem D. Justinam an. 451. ab Hunnis in puteum præcipitatos esse eo Superum beneficio, ut eorundem cadavera post 300. annos imperante Carolo M. nulla sui parte læsa fuerint inventa.

Pag.

Pag. 23. D. Bonifacius Christi doctrinam explanans inter  
avidos auditores miratur diversas volucres. Idem Oræ fluvii ri-  
pæ insidens, cùm cibo necessario foret destitutus, piscem volu-  
cris ministerio datam accipit. D. Bonifacii tentorium etiam in-  
tegris noctibus fuit illustratum clarissimis radiis. His multisque  
aliis D. Archipræsul claruit miraculis.

Pag. 27. D. Bonifacius latronibus vim inferentibus vim nul-  
lam intulit, & ab aliis inferri prohibuit: ferales ictus Bibliorum  
libro & sacris reliquiis duntaxat impediūt: unde evenit: ut ta-  
met si liber hic sacerrimus gladio perfoderetur, nullus tamen apex  
aut litera læderetur.

Pag. 28. Cùm D. Bonifacii cadaver Moguntiam Ultrajecto  
transferendum, pertinaciter negarent concedere cives ultrajecten-  
ses, cives verò Moguntini ardentiùs desiderarent, campanæ cœ-  
lesti virtute motæ, abeundi cadaveri applauferunt, obstupescen-  
te, & palmam cedente Ultrajecto Moguntiæ.

Pag. 34. Cùm anno 873. Carolus Crassus à Cacodæmonē  
esset obfessus, & omnes in partes tanto impetu fuisset raptus, ut  
eidem sustinendo sex viri fortissimi impares forent; maximo ta-  
mèn huic malo remedium attulit Lindbertus Archiepiscopus, pul-  
so infernali hospite.

Pag. 45. cùm mater Willegisii primi Electoris Moguntini  
uterum ferret, visa est sibi per somnum haudquaquam inane pa-  
rere orbi Phæbūm clarissimum, qui profectò fuit Willegisius.

Pag. 48. Bardo Archiepiscopus Moguntinus tanti fuit æsti-  
matus, ut passim alterum Chrysostomum dixerint. Idem Pa-  
derbornæ an. 1051. diebus Pentecostes præsente Henrico III.  
Imperatore dixit, ut alias ferventissimè, ubi prædixit diem mor-  
tis suæ, quæ fuit dies Lunæ proxima.

§. 3.